



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1767

VD18 9011826X

§. 36. Nuncii a Papa Constantinopolim missi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Sæcul. XIV.
A.C. 1334.

§. XXXVI.

*Nuncii a Papa Constantinopolim
missi.*

*Rayn. 1334.
n. 2. 3.*

*Niceph.
Gregor. l. 10
c. 8.*

Duo Nuncii, quos Papa Constantino-
polim miserat, hoc anno illuc adve-
nerunt, scilicet Franciscus Camerinus
Archiepiscopus Bosphorinus, & Richar-
dus Cherfonensis Episcopus. Ferebant
duas epistolas 22 Febr. datas, ad Impe-
ratorem Andronicum alteram, alteram
ad ejus conjugem Imperatricem Joan-
nam Sabaudia Ducis sororem: quæ in
catholicis sacris educata sociam præsta-
re operam posset, ut Imperator ejurato
schismate ad Ecclesiæ Romanæ finem
rediret. Itaque, ut cum Nunciis de re-
conciliandis Ecclesiis sererentur collo-
quia, postulabant multi de populo; quin
etiam Patriarcham eo impellebant. At
hic Præsul non versatus in eloquentia,
& magnam Episcoporum plerorumque
se stipantium inscitiam noscens utebatur
dilationibus, nec sciebat, quomodo seda-
ret commotionem populi. Putabat Ni-
cephorum Gregoram, tametsi non esset
Clericus, sibi hac de re consulendum,
quippe qui frequentem per usum dicendi
copia polleret. Is principio suadebat si-
lentium; & huic consilio firmiter insiste-
bat,

bat, magnitudinem animi, ac despicientiam provocationis Latinorum exhibendam ratus, quia de hac re loquendi necessitas nulla occurreret. Sed postea id silentium posse suspiciones incommodas movere considerans, ad Patriarcham & selectos quosdam Præsules privatim longum sermonem habuit, quem historię suæ magna cum cura inseruit.

Sæcul. XIV.
A. C. 1334.

Summa illius est hæc: Non permit-
tendum, primo cuique obvio, ut dispu-
tet cum Latinis. Hæc disceptatio re-
ferenda est ad finem aliquem, ac de Ju-
dice quodam consentiendum. Quia ve-
ro hic non habemus tertium, qui nos ju-
dicet, nostrum est id facere. Nam in-
ter partes convenit nostram doctrinam
esse bonam, nempe Spiritum Sanctum a
Patre procedere, atque illi soli asserunt
illud, quod noviter addiderunt, scilicet
eum procedere simul a Filio. Per hanc
regulam obtinerent causam hæretici o-
mnes, qui fidei caput aliquod detrahunt.
Gregoras pergīt: Cathedram S. Petri
memorant? Suam successionem veluti
nubem fulmina minantem extollunt?
Quidquid contra nos incognita causa
pronunciaverint, nos volunt exequi? Eo
majus odium sibi conflant, utpote digni-
tate sacræ sedis abusi, nulla sanctionum
cuncta per concilia stabilitarum ratio-
ne habita per voluntate sua decernendo.
Tum

Tum

Sæcul. XIV.
A. C. 1334.

Tum conqueritur, Latinos nimium niti syllogismis & dialectica. Nec vero nisi ex regulis logicis argumentari sciebant scholastici nostri. Contendit autem hoc differendi genus in sensibus ac experientia fundatum non habere locum in rebus divinis intelligentiam nostram superantibus. Adjungit, has quæstiones utrimque jam sæpius agitas esse, ita, ut certum sit Græcis, quid agere debeant. Ita sentiens Gregoras non iniit disputationem: & nos Nunciorum itineris effectum videmus nullum.

§. XXXVII.

Papæ Legatus Bononia pellitur.

Ragn. 1334.
n. 27.

In Italia consurgens in Papam Bononia expulit Legatum Bertrandum Pojetum Cardinalem Episcopum Ostiensem. Authores turbarum conspirantes populum ad seditionem concitabant clanculum, multisque diebus continuis pulsari æs campanum velut in casu trepidationis curabant. Tum congregati cives Legatum nihil metuentem in arce, quam intra urbem construxerat, obsidebant, atque per decem dies ibi tenebant inclusum. Circumductis undique fossis, ut ne intraret præsidium, sub gravibus poenis, ne vitæ subsidia illuc inferrentur, veta-